

ea bonis literis atq; moribus ab ipsa usq; pueritia probè fuerit educatus, nec ergo tām honorabit ut *patriam*, quām ut *bene-vivendi* celebrabit *māgistrām*. Eò conatus suos & nervos intendet, ne patriæ suā sit *indecor* (ignoscat huic vocabulo genius Monachi Bergomatis) aut Preceptorum Scholasticorum *immemor*. Certè, quod monet alicubi præclarissimus ille Theologus Cunradus Dieterichus (16), *caules altæq; herba multæ & plantæ, nisi transplantentur, steriles & viles manent, transplantata autem magna cum ubertate crescunt; ita puerorum ingenia fortis quandoq; felicius excolantur quam domi* Idq; intellectus dicendus est alter discipulus MARTINUS, qui ex nobili Noriberga *ante hoc triennium in mense Iulio ad nos venit, ac sicut primo statim accessu fortunæ facies non adeò rideret aut blandiretur, constantissimè tamen eam pertulit & superavit, nec eum hujus unquam aut pœnituit perseverantia aut pœnitibit: immò cum nuper à nobis abire in animo haberet, à magno ipsi Patrono, plurimè Reverendo & Excellentissimo Domino DICHERRO rescriptum fuit, ne Gymnasiū tām luculentum desereret, antequam reapse Stūpendio, quod ab ipsis petierat, frui posset, quām fundamenta in gymnastis solēdius sōcta in Studiis Academicis primas tenerent. Et sanè per hoc triennium ita se in studiis & moribus suis gessit, ne opus habuerimus optare, aut ut numquam ad nos accessisset, aut ut citius à nobis abiret. Exercitia scholastica semper magna cum diligentia compoñit, & debito tempore obtulit, non ut quibusdam solenne est, qui vel planè ea negligunt, nescio quo expeditæ Latinitatis typhlo inflati, vel versuram faciunt, atq; nudato Petro Paullum tegunt, semestri secundo reservantes, quod erat faciendum in primo. Quæ beneficia apud nos per integrum triennium acceperit, nolumus pluribus predicare, ne videamur exprobrare; ipse, quo semper visus est esse, Norico, id est, ingenuo candore ea suo apud Norimbergenses ore omnino enumerabit, licet non tam numerus quam pondus hec attendatur & animus.*

Quod supereft, ego utrumque, & PHILIPPUM nostrum & MARTINUM Noribergensem, præprimis Deo, ab ipsis Angelis custodien-

dos,

(16) super Evangel. Iacobipart. I. observ. 3.